

storalis in sua genesi et progressu atque cooperationem potestatis episcopalis cum gubernio superiorum regularis provinciae (respective provinciarum) et opera parochorum franciscanorum in exercitio ejusdem ministerii pastoralis.² Hoc autem optime obtineri potest ex historica inquisitione et juridica consideratione factorum stabiliendo conditionem juridicam parochiarum franciscanorum, quia super hoc fundamento, vel etiam, ita gravissimis causis exigentibus, in quibusdam praeter illud, ordinatae fuerunt omnes aliae relationes juridicae in regimine populi. Initium enim, evolutio et hodierna conditio juris et muneris pastoralis Franciscanorum prae se fert omnes notas distinctivas juris religiosi in genere ejusque evolutionis una cum quibusdam privilegiis extraordinariis et provisionibus specialibus accomodatis difficillimis conditionibus, in quibus Franciscani Vicariae (postea provinciae) Bosnensis continuo versabantur.

Etenim, Franciscani organisati in Provincia (prius Vicaria) sub nomine Bosnae Argentinae jus ad munus pastorale acquirunt et parochias erigunt proprie tempore, quo fortes ordines centralistici pugnant pro convenienti juridica conditione in Ecclesia Catholica, quando libertatem et tutelam quum in vita sua interna disciplinari, tum in actione extra claustra quaerebant.

In suo etiam progressu jus parochiale Franciscanorum in Croaticis regionibus pari gressu cum evolutione juris religiosi totius incedebat. Ordines religiosi in privilegiis, concessionum ac gratiarum acquisitione progrediebantur usque ad Concilium Tridentinum. Concilium autem Tridentinum fundamentales quasdam normas pro eorum regimine determinavit, praecipue quod activitatem eorum extra claustra attinet. Et amodo omnes quaestiones inter repraesentantes ordinum religiosorum et aliarum auctoritatum (ordinarie episcoporum) exortae, semper ad normas a Tridentino Concilio latas dirimebantur. Occasione vero hujusmodi dissensionum condebantur, in spiritu principiorum Tridentini Concilii, novae leges seu normae juridicae, quae finaliter in Codice Juris Canonici locum invenerunt.

Eundem hunc processum reperiemus in jure parochiali Franciscanorum Vicariae (provinciae) Bosnensis, quae nonnisi pars est quaedam in jure religioso universalis. Hoc enim jus gradatim crescit et augetur, cum omnibus notis illius temporis, usque ad refor-

² Lechtape H., sic describit conceptum organisationis: »Organization als soziales Gebilde setzt sich zusammen aus selbständigen Teilen. Immer ist damit verbunden, dass diese Teile planmässig u. bewusst einem gemeinsamen Ziel zustreben. In ihrer planmässigen Zielbestrebigkeit bildet die O. eine über den Teilen stehende, in sich gegliederte Einheit. O. können wir mithin begrifflich bestimmen als ein aus selbständigen, auf ein gemeinsames Ziel hinstrebenden Teilen bestehendes, planmässig geordnetes u. in sich gegliedertes soziales Gebilde«. Sacher H., Staatslexikon, sub voce 'Organization«, III, Freiburg 1929, 1742.